

» reagravationis, interdicti, anathematis, maledictionis, diffidationis,
» privationis et inhabilitationis sententias, censuras et poenas pari
» modo ex nunc prout ex tunc proferimus et promulgamus in his
» scriptis. Monemus praeterea et requirimus auctoritate et pote-
» state praedicta omnes et singulos forenses Italicae, Gallicae,
» Theutonicae, Hispanicae, Anglicae, Scotiae, Dalmaticae et cu-
» juslibet alterius nationis quos tunc Venetiis aut in civitatibus, ter-
» ris et locis in quibus Veneti praedicti de jure vel de facto supe-
» rioritatem obtinent, mercaturae vel quavis alia causa esse conti-
» gerit, et mandamus eisdem, ut postquam Veneti praedicti inter-
» dicti sententiam incurrerint memoratam, quam primum poterunt
» ex Venetiarum et aliis locis, in quibus Veneti superioritatem ob-
» tinent, ut praefertur, ipsique tunc degerint, cum eorum merci-
» bus et rebus omnibus recedant, et ad illa redire aut in eis con-
» versari durante interdicto praedicto nullatenus praesumant: alio-
» quin illos ex eis qui monitioni et mandato hujusmodi nostris ob-
» temperare distulerint, similes prorsus excommunicationis, aggra-
» vationis, reagravationis, interdicti, diffidationis, privationis et
» inhabilitationis ac bonorum confiscationis sententias incurrere
» volumus eo ipso, a quibus pari modo ab alio quam a Romano
» pontifice nisi in mortis articulo nullus valeat absolutionis bene-
» ficium promereri. Rursus tam ipsis qui sic habitant, et in aliis
» civitatibus, terris et locis praedictis, quam universis et singulis
» aliis Christifidelibus districtius injungimus, ut excommunicatos,
» anathematizatos, maledictos, privatos et inhabilitatos praedictos
» evitent et faciant quantum in eis est evitari: nec cum eisdem Ve-
» netis et subditis eorum, seu ipsorum aliquo, emendo, vendendo,
» permutando seu mercando, vel alias quomodolibet contrahendo,
» commercium habere, aut cum eisdem per terram vel per mare
» conversari et in eorum navibus, triremibus, et aliis navigiis eo-
» rum, seu in quibus aliquis eorum vel eorum mercantiae, res et
» bona veherentur, aut eorum res, merces et bona vehi permittere,
» granum, vinum et alia victualia, arma, pannos, merces et res